

## Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

### Wersja sandomierska

Rękopis Archiwum Państwowego w Przemyślu, Akta Miasta Przemyśla, sygn. 428, s. 38–39

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 56 [Gn. 53]

[56] De eo, qui vir vulneratus cum clamore ad iudicium deductus fuerit. C[apitulum]  
LVI

Si vulneratus vir ad iudicium cum clamore decuctus fuerit in facto manifesto, et si ita inbecillis aut debilis fuerit, quod per tutorem ipsum querulari opportet et prolocutorem per sententiam petat<sup>a</sup>, extunc tali modo procedat sua querimonia: „Domine iudex, si me huic vulnerato dedistis pro advocate, extunc in sententia requiro, si per iusticiam insidias per aliquem pati debeam, aut sustinere, cum suam causam propter exigenciam iuris teneo”. Extunc sibi diffinitur, quod non. Extunc sibi petat correccionem. Cum obtinuerit coreccionem, tunc petat colloquium pro consilio, et cum colloquium habuerit, tunc requirat, qualiter suam querelam inchoare debeat, et hoc per sententiam diffinitivam, ut sibi proficiat in suo iure. Extunc diffinitur non cum clamore. Tunc interrogat finaliter, si requiri debeat ex ore ad os, a quo suam lesionem habeat. Tunc sibi diffinitur, quod debeat. Extunc emittuntur duo scabini et cum ipsis preco aut duo viri, qui iudicio astare consueverunt, qui ab ipso solo audiant, a quo suam perceperit vel habuerit dampnum, aut quis in eo pacis federa confregit. Extunc requiritur finaliter, si requiri debeat. Si interrogari debeat circa iuramentum prestitum [s. 39] aut ius civitatis, quid ab eo audierunt ad dicendum, quid ab eo audierunt. Audita responsiva, tunc in sentencia requiratur, si iam profecerit, tunc sibi diffinitur, quod sic, et eciam secundus et tertius interrogetur. Extunc sibi diffinitur, quod profecerit. Extunc querelam incipiat: „Domine iudex, placeat attente audire”. Tunc hic conqueritur super N et super E, quod ipsi venerunt intra municipale, et in eo pacem infregerunt, et ipsum vulneraverunt aut suum affinem proximum trucidaverunt, si homicidium fuerit, et ipsum spoliaverunt corpore et rebus, et pro eo iudicium petit. Extunc illi ter vocantur, quando vocati per clamorem ter fuerint, tunc conqueratur ulterius et nominet malefactores, ut prius querulatum fuerit. Idem faciat tercia vice. Extunc inducie indicantur per noctem. Si tunc non comparant describentur. Sin autem comparent, duellum in eis acquiri potest.

<sup>a</sup> w rkp. patet

[hasła: zranienie, sąd, wyrok, skarga, sędzia, sprawiedliwość, posiedzenie, ławnik, szkoda, przysięga, prawo, zabójstwo, kradzież, zranienie, otrucie, noc, pojedynek sądowy]